



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. Politia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

N V M. 4. *Politia.*

OLIM Palatinus Multauius huic parti imperabat, sed inter duos fratres sectus est Principatus. Nunc omnino Turcis subdita est Bessarabia, & per Bassam Moncastrensium administratur, estque quasi Acropolis quæ Valachi, Moldaui, Transylvani in officio continentur.

§. II. *De Transylvania.*N V M. 1. *Nomen.*

NOMEN ei impositum à syluis, quibus ferè vndequaque præcingitur, ab Hungaris *Erdel* dicitur, à Germanis *Sibenburgen*, à Slavis *Siedra Gradika Ziemia*, quæ voces *septem castra* significant à 7. urbibus quas hîc Saxones incolunt. Eius quoque pars à Hungaris *Iazap*, dicitur dubio procul à Iazygibus Metanastis. Item & CICVLI in eius angulum compacti sunt, sic dicti à voce *Szekel*, quæ Scytham sonat; suntque reliquæ Hunnorum, postquam duo filij Attilæ Gentem ferè perdidissent, huc enim confugere, & ne malè multarentur ob superiores rapinas, & crudelitatem hoc sibi nomen imposuerunt, quia reuera erant origine Scythæ; atque pharetrati Scythicis de finibus Hunni.

N V M. 2. *Qualitas.*

REGIO supra fidem ferax, vini, frumenti, leguminum, omniumque fructuum. Auriferam regionem esse arguunt fluuij aurea ramenta deuehentes, item & massæ auri defæcati quæ passim reperiuntur. Ex montibus eruuntur hydrargyrum, ferrum, plumbum, stannum, minium, calcanthum, sulphur, stibium, & marmor exquisitissimum. Mel quoque plurimum hinc egeritur. Equi velocissimi, qui & sine arte tolutim incedunt, egregiè criniti, & iubis ad terram defluentibus. Cerui supra modum proceri: vno verbo conficiam si dixerò meritò ab Hungaris Thesaurum suum appellatam esse aliquando dum eâ potiebantur.

N V M. 3. *Mores.*

CICVLI contrario motu ab aliis gentibus saltant, dextrum enim pedem primum promouent: litteris vtuntur in quibus aliquod vestigium cernitur Abyssinæ, Syriacæ & Hebrææ scripturæ.